



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Regvla Morvm Sive Tractatvs Bipartitvs De Sufficienti Ad
Conscientiam Rite Formandam Regvla In Quo Usus
Cujusvis Opinionis Practice Probabilis Convincitur Esse
Licitus**

Terillus, Antonius

Leodii, 1678

Quæst. XXV. Vtrùm, & in quo probabile benignæ sententiæ ab
Academicorum probabili discrepet?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77827](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77827)

QUAESTIO VIGESIMA- QUINTA.

*Virum, & in quo probabile benigna sententia ab Academicorum
probabili discrepet?*

Celladeus
horrendam
contra om-
nes accusa-
tionem in-
stituit.

NUNQUAM credidiffem, fe-
rum Theologum adeo suis per-
suasionibus abripi potuisse, ut
communem proborum ac peri-
torum omnium opinionem, tan-
quam dogma impium & stultum exploderet, nisi
vidiffem Celladeum *lib. 2. quaest. 3. & 4.* unani-
mem omnium totius Ecclesiae Doctorum senten-
tiam de licito probabilium usu cum stultissimo
Academicorum placito non solum ex-professo
componere, sed etiam ferid contendere, atque
Augustinum contra Academicos imitando, *Per
omne divinum dejerare, nescire prorsus se, quomodo
quidquam sit illicitum, & peccatum, si probabile il-
lud, quod non magis cum vero quam cum falso con-
nectitur, & utriusque contradictorio convenit, excu-
sar actus nostros a peccato.* Haec sunt verba Celladei,
quibus quaestionem tertiam claudit, alluditque
ad communem sententiam, quae docet, proba-
bile ad honestam operationem sufficere, etiam
quando propositio contradictorie opposita est
probabilis. Porro Celladeus ea omnia in com-
munem hanc omnium Doctorum sententiam
conjicit, quae Augustinus in libris adversus Aca-
demicos contra turpissima eorum dogmata pro-
tulit. Accusatio horrenda est, ut per se patet.
Sed hoc solatur nos, quod sicut haec accusatio
maxime aliena est a consuetudine & mente Au-
gustini, quo nemo favorabilis sensit, aut de
communibus Catholicorum opinionibus mitius
locutus est, ita pariter ab omni veritatis specie est
remotissima, ut mox ostendam.

ASSERTIO PRIMA.

*Propositum sit explicare, quid Auctores be-
nigna sententiae postulent, ut aliquid sit
probabile, & ut rursus sit in conscien-
tia qui illud sequitur.*

Quid re-
quiratur ut
aliquid sit
probabile?

1. IN PRIMIS omnes expressè docent, nil
esse posse probabile, cujus oppositum sit
certum. Unde nil contra evidentiam, aut Eccle-
siae traditionem, vel Sacram Scripturam, aut Ec-
clesiae vel Pontificum decreta esse potest proba-
bile; alioquin daretur probabile contra oppo-
situm certum, quod est impossibile, quia nil me-
retur assensum, cujus contrarium est certum.
Probabilitas autem in eo consistit, quod sit ap-
parentia veri digna assensu. Ergo ut pars aliqua
contradictionis sit probabilis, pars altera non de-
bet esse certa. Ergo probabilitas locum non ha-
bet, nisi ubi certitudo de parte opposita non in-
venitur.

3. Rursus, in incertis ut aliquid sit probabile,

necesse est, ut prius veritas diligenter investige-
tur, quia in rebus dubiis tenemur eniti ad ipsam
veritatem, quantum rei qualitas postulat, & cir-
cumstantiae, in quibus versamur, exigunt. Quod
si veritas post debitam diligentiam impensam cer-
tò reperiri non possit, tunc pars minus tuta po-
terit esse probabilis, si tot & tam validis argu-
mentis comprobetur, ut illa non solum absolute,
& secundum se, sed etiam comparative, & in
contradictione omnium, quae in contrarium af-
ferri possunt, tam validè stimulent intellectum,
ut à viro materiae perito, qui absque indebita ani-
mi propensione judicat, assensum impetrare va-
leant; seu, ut qui propter illa assentitur, à ne-
mine merito reprehendi possit tamquam teme-
rarius, sed potius laudari debeat tamquam ho-
mo, qui cautè & rationabiliter in judicando pro-
cedit. Si aliquid horum desit, eo ipso probabi-
litas deest, quae etiam, postquam semel habita
est, deficit, quoties aliquid ex illis auferatur.

4. Tertio sola probabilitas, aut ejus appa-
rentia non sufficit, ut quis absque peccato possit
facere illud, quod est probabiliter licitum, quam-
vis illud quod facit verè sit honestum, ejusque
honestas adeo probabilis sit, ut contrarium omni
probabilitate careat. Nullum enim est dubium,
quin stante hujusmodi probabilitate, omne ju-
diciu[m] suspendi possit, & intellectus manere du-
bium, nil determinatè judicando de absoluta rei
honestate. In quo casu peccaret homo, si rem
illam faceret, ut certum est apud omnes. Ergo
non est praecisa probabilitas, quae excusat. Ut
ergo per probabilitatem tamquam per regulam
excuse[mur], primò requiritur, ut ipsa probabi-
litas certò, non imaginariè, aut solum probabi-
liter appareat: secundò, ut intellectus ob moti-
va directa aut reflexa, qualia modò descripsimus,
determine[mur] ad assensum, quo, absolute credat
objectum illud esse licitum, atque ita formet bo-
nam fidem & conscientiam ex motivo certò pro-
babili. Haec si concurrant, dicimus hominem
posse licitè ponere tale objectum, quodque si per
accidens contingat illum post talem diligentiam
adhibitam errare, eo ipso error invincibilis eva-
dat, & consequenter opus imputari non possit ad
peccatum, quia bona fides & conscientia invin-
cibiliter erronea ab omni peccato excusat. Prae-
terea addimus, intellectum, post conscientiam
hoc modo formatam, novam consultationem
adhibere, per quam confurgit ad formandum ju-
diciu[m] certum & evidens de honestate suae ope-
rationis. Quae omnia fuse exposita, atque pro-
bata sunt tum in hoc, tum vel maxime in *tract.
de Consc. prob.* Haec est summa benignae sententiae
in qua omnes omnino conveniunt, nisi quod
unus aut alter ultimam illam consultationem non
videatur

Probabili-
tas ad licitè
operandum
non sufficit,
nisi bona fi-
des ex mo-
tivo certò
probabili
formetur.

videatur requirere; illi tamen revera à communi sententia non discrepant, ut in eodem tractatu ostensum est.

ASSERTIO II.

Proposuit sic explicare, quale sit Academicorum probabile, & quid illi requirebant, ut opus non esset vituperabile, & malum.

Academici quid teneant?

5. **I**NERIMIS Academici tamquam primum dogma tradebant, veritatem esse à nobis prorsus invenibilem. Inde contendebant, prudentem debere animum ab omni assensu suspensum tenere, nihilque intellectualiter approbare vel reprobare, ne si in rebus incertis assensum ulli parti præberet, eo ipso in errorem se ultrò præcipitaret. Porro maximè contendebant, neminem qui errat esse posse sapientem. Hæc nota sunt, & Celladeus ipse ea expressè agnoscit esse verissima. Itaque constat, Academicos nil omnino certum agnovisse, sed omnia apud illos fuisse dubia. Rursus nullam admittebant obligationem inquirendi verum, quia secundum illos talis obligatio ad impossibile nos obligasset.

Probabile Academicorum definitur.

6. His non obstantibus, admittebant verisimile quoddam, quod probabile vocabant. Porro Augustinus lib. 2. contra Academicos cap. 11. his verbis declarat ac definit probabile Academicorum. *Id probabile vel verisimile Academici vocant, quod nos ad agendum sine assensione potest invitare, sine assensione autem dico, ut id quod agimus non opinemur verum esse, aut nos id scire arbitremur, agamus tamen.* Hæc erat Academicorum mens, in qua exponenda toto Cælo errat Celladeus, dum ait, eos majorem connexionem aut similitudinem veri quam falsi in suo probabili requisivisse, quia certum est, Augustinum hic hoc non dicere. Rursus certum est, definitionem ab illo allatam hoc non postulare. Ex definitione enim ea apparentia veri ad probabile Academicorum sufficit, quæ sufficit ad agendum; ad agendum autem quævis exigua veri apparentia sufficit; si enim operari possimus, stante dubio perfecto de honestate ac veritate rei, multò magis agere poterimus, si adsint rationes aliquæ quamvis non desint rationes potentiores pro opposito, maximè si illas contemnamus, nec ad illas animum adjicere velimus. Atqui quævis exigua verisimilitudo, non obstante pari aut majore verisimilitudine oppositi, sufficit ut nos ad agendum sine assensione invitet, imo sæpe invitat ad agendum contra assensionem oppositi, juxta illud Poëtæ: *Video meliora proboque, deteriora sequor.* Ergo quævis exigua veri apparentia constituit probabile Academicum, etiam quando apparentia oppositi est multo major.

Academici novi nil omnino certum esse dicebant.

7. Ex his habemus, quod inter probabile Academicorum & nostrum ingens detur diversitas, nilque verè reperiatur commune, præter vocem eandem æquivocè intellectam. Certè Academicici novi, ut ex Varrone tradit August. lib. 19. de Civit. cap. 17. de omnibus dubitabant, quia nil certum agnoscebant, & in hoc sapientiæ culmen collocabant. *Sed Civitas Dei*, inquit Augustinus, *ralem dubitationem tamquam dementiam detestatur, habens de rebus, quas mente atque ratione comprehendit, &c. certissimam scientiam, creditque sensibus, in rei cujusque evidentia, quibus per corpus animus utitur, quoniam miserabilis fallitur, qui nunquam*

putat esse credendum. Credit etiam Scripturæ Sanctæ, quæ Canonica appellatur, unde fides ipsa concepta est, ex qua justus vivit, per quam sine dubitatione ambulamus. Quæ salva, atque certa, de quibusdam rebus, quas neque sensu neque ratione percipimus, neque nobis per Scripturam Canonicam claruerunt, nec per testes, quibus non credere absurdum est, in nostram noticiam pervenerunt, sine justâ reprehensione dubitamus. Itaque illi omnia, de quibus dubitant, id est, omnia omnino, de quibus ullam veritatis speciem habebant, probabilia nominabant. Ergo omnis Catholicus, qui plurima certa admittit, atque ea ultra omnem probabilitatem constituit, toto Cælo ab Academicismo, & Academicorum probabili discrepat.

8. Secundò, probabile Academicorum ex æquo involvit omne opinabile, ideoque comparatur ad probabile nostrum, sicut genus ad speciem, quia opinabile aliud est temerarium ac stultum, aliud rationale & prudens. At solum opinabile secundi generis apud nos dicitur & est probabile.

9. Tertiò Academicorum probabile excludat assensum omnem, quippe quem stultum reputabant, & contenti erant ulla apprehensione, quæ poterat stimulare ad agendum, quamvis id, quod fieret, esset certò & manifestè malum. At nostrum probabile involvit assensum prudentem ex fundamento tam absolute quam comparative magno conceptum. Ergo nostrum probabile non potest invitare ad quiddam quod est certò inhonestum, sed solum invitat ad honestum prudenter creditum tale. E contra Academicorum probabile invitabat ad omnia facinora, illaque excusabat, ut Augustinus evidenter probat, & ideo illorum doctrinam tamquam evidenter absurdam & impiam reject.

10. Demum Academici manifestè abutebantur terminis contra nativam eorum significationem; appellabant enim illud probabile & verisimile, quod tamen ipsi dicebant non posse nisi stultè approbari, aut verum reputari. Nil enim admittebant esse verum, ac proinde nil erat ex eorum comparatione quiddam meritò dici aut esse posset verisimile. Has improprias & sibi contradictorias eorum locutiones frequentissimè & meritissimè deridet Augustinus. At nostrum probabile illud solum significat, quod verè dignum est approbatione, quodque fundat judicium prudens ac rationale de absolute rei veritate. Itaque probabile Academicorum & nostrum non minùs opponuntur inter se, quam quævis contraria, aut contradictoria, ut mirum sit Catholicos ingeniosos & doctos talia objecisse, aut ullam in eis vim latere existimasse. Qui plura de hac materia videre cupit, legat Esparzam in *Appendice ab art. 68. ad art. 88.* ubi egregiè & plenè tractat hanc materiam contra Marinarium, qui adversus benignam sententiam Academicismum, & dictum Augustini locum objecerat.

QUÆDAM CELLADEI OBJECTIO solvitur.

11. **O**BJECTIO. Nisi apparentia veri haberet majorem connexionem, & similitudinem cum vero, quam cum falso, dici non posset verisimilis, quia non esset magis similis vero, quam falso, nec magis proponeret rem prosequendam, quam fugiendam. Ergo Academicici aliquem verisimilitudinis excessum in suo probabili

Probabile Academicorum involvit omnia temeraria.

Academici volebant quemquam ulli rei assensu præbere.

Academici absurde terminum significati- ne utebantur.

bili requirebant. Confirmatur primò, quia pura ac liquida vox magis se habet ad diem serenum indicandum, quam ad oppositum. At hoc est exemplum, quod Augustinus post allatam definitionem Probabilis Academicorum proposuit, ut sensum definitionis explicaret. Ergo major hæc verisimilitudo requiritur ad essentiam Probabilis Academicorum.

Confirmatur secundò. Cicero, celeberrimus Academicus, lib. 1. de nat. Deor. tradit probabile Academicorum non fuisse aëreum & levissimum, sed validum, insigne, & illustre. At enim, multa esse probabilia, quæ quamquam non perciperentur, tamen quia visum haberent quemdam insignem & illustrem, his sapienti vita regetetur. Hoc aperte indicat, majorem veri quam falsi similitudinem Probabili Academicorum inesse. Ita Celladeus lib. 2. quaest. 3. §. 1.

Respondeo mirum esse, si Celladeus hæc ex animo objiciat; peto enim, an existimet, nullam ex opinionibus specularis aut moralibus, quas ut falsas rejecit, ullam veri similitudinem habuisse. Non existimo illum hoc dicturum; absque dubio enim aliquas saltem illarum consuetam probabilitatem, & consequenter aliquam verisimilitudinem habuisse agnovit. Et tamen pars opposita illi verisimilior est visa. Ergo major verisimilitudo unius partis omnem verisimilitudinem ab altera contradictionis parte non excludit. Sed quidquid Celladeus quaestioni responderit, certum est, non solum opinionem nostræ contrariam, sed etiam errores hæreticorum contra certissima fidei nostræ dogmata aliquam verisimilitudinem præ se ferre, alioquin neminem ad infidelitatem incitare possent. Certissime ergo errat Celladeus, dum dicit, nil mereri nomen verisimilis, nisi majorem veri quam falsi apparentiam habeat.

Neque enim difficile est hoc intelligere, quia plura ita comparantur inter se, ut secundum quid sint similia, & secundum quid aliter dissimilia. Homo prout passionum motibus subest, sensuumque officio fungitur, similis est bruto; eidem verò dissimilis prout ratione ac libertate utitur. Similiter eadem res similis est vero, prout substat motivis suadentibus illam esse veram. Est etiam similis falso, prout substat motivis ejusdem falsitatem representantibus. Nec mirum, quia idem à diversis formis diversas denominationes accipit. Jam prout motiva veritatem suadentia majora fuerint vel minora, ita pariter major vel minor erit verisimilitudo unius, quam alterius partis contradictionis; imò major esse potest similitudo falsi quam veri; neque enim una aliam excludit, nisi quando ipsa veritas aut falsitas evidenter appareret. Cæterum in hoc ipso casu advertendum est, verisimilitudinem semper distingui à similitudine falsi, illique opponi; quia in argumentis prorsus oppositis consistunt. Rursus ipsa veri similitudo semper habet majorem connexionem apparentem cum vero quam cum falso, quia verisimilitudo, seu vis argumentorum veritatem suadentium solum sollicitant ad assensum, non ad dissentium; nec huic contrariatur, quod argumenta opposita falsitatem suadentia sint potentiora, & magis alliciant ad dissentium, quam ista ad assensum, quia argumenta falsitatem suadentia non constituunt verisimilitudinem, sed opposita prout conjuncta cum horum solutione. Similiter argumenta suadentia falsitatem cum solutione rationum veritati faventium constituunt similitudinem falsi. Itaque omnis apparentia veri, quantumvis

exigua, est verissima verisimilitudo, magisque connectitur cum vero quam cum falso, quamvis tantam cum vero apparente connexionem non habeat, quantum rationes oppositæ cum ejus falsitate.

12. Ad primam confirmationem. Dico Augustinum attulisse exemplum obvium, quo mentem suam clarius explicaret; inde autem non sequitur, omnia alia sub definitione comprehensa debere habere tantam verisimilitudinem, quantum habuit exemplum propositum. Certè ipsi Academici, saltem antiqui, ut ex citato Tullii loco aperte colligitur, fatebantur varias esse verisimilitudines, unamque aliam excedere. Nec mirum, quæ enim nobis certa sunt, illis tantum erant verisimilia, quæ tamen absque dubio majorem verisimilitudinem habebant, & habent, quam quæ sunt solum probabilia. Itaque sicut si Augustinus proposuisset exemplum verisimilitudinis tantæ, quanta apud nos certitudinem inducit, perperam intulisset Celladeus, omnem veri apparentiam esse debere illi parem, ut sub definitione Probabilis Academici comprehenderetur. Ita pariter erravit in casu præsentis, dum similem & non minus fallentem consequentiam intulit.

13. Secunda confirmatio Celladeum redarguit. Cicero enim dicit, multa esse probabilia, quæ insignem & illustrem visum habent. At nec dixit, nec somniavit, omnia probabilia talem visum præ se ferre. Imò ipsa locutio juxta consuetam verborum illorum significationem præ se fert exceptionem, ut sensus sit, multa quidem habent, non tamen omnia probabilia habent illustrem illum visum, de quo loquitur, quoque sapientes tantum vitam dirigant, quia nimirum soli periti, quos hæc sapientes vocat, talium probabilium notitiam habent.

14. Stat ergo certum esse, quod omnis apparentia veri ab Academicis, saltem novis (contra quos Augustinus expressè agit, & de quibus ex Varrone mentionem facit, ut vidimus) nomine probabilis inclusa fuerit. Duplex ratio id evincit; prima est, quia certum est, omnem omnino veri apparentiam comprehendi sub definitione ab Augustino allata. Secunda, nulla est ratio vel auctoritas, quæ oppositum suadeat, maxime si de novis Academicis loquamur, quos Augustinus potissime insectatus est. Cæterum, etsi Celladeo concederem, solam majorem veri apparentiam ab illis nomine probabilis fuisse intellectam, adhuc ipsi in eo conveniebant, omnem ejusmodi apparentiam esse probabilem, undecumque tandem illa proveniebat, sive à merito objecti, sive à dispositione hominis, cui objectum placebat. Itaque non distinguebant inter vincibilem & invincibilem veri apparentiam, nec solliciti erant an illa à rebus ipsis & seria veritatis indagatione (eam enim stultè indagari asseriebant) an à violenta hominis passione ac indebita animi propensione proveniret. Itaque certum est, eorum probabile voto cælo à nostro disferrepare, & solum in nomine æquivocè convenire.

15. Probabili hoc modo constituto, Academici teste Aug. lib. 3. contra Acad. cap. 16. per illud explicabant, quomodo homo errorem & vitandum peccatum vitaret. Celeberrimum illorum dogma erat, Turpe est errare, & ideo nulli rei consentire debemus; sed tamen cum agit quisque quod ei videtur probabile, nec peccat, nec errat. In hoc Academicorum asserto plura absurda involvuntur: primum

Illatio Celladei nulla esse ostenditur.

Textus Tullii nobis favet non Celladeo.

Omnis veri apparentia censetur probabilis ab Academicis.

Quid Academici requirent ad vitandum errorem & peccatum?

Error Celladei in re clarissima.

Minor apparentia veri est verissima verisimilitudo.

Verisimilitudo realiter distinguitur à similitudine falsi.

mum est, hominem, ut rectè operetur, non debere conscientiam formare, nec iudicio ac bona fide regulari, quod est contra Apostolum ad Rom. 14. 23. *Quod non est ex fide peccatum est.* Secundum, quod homo in dubio operans non peccet, quodcumque faciat, modò res illa quomodocumque illi appareat facienda. Tertium, ut homo prudenter & benè operaretur, requirebant, ne conscientiam ac iudicium formaret, sed in æquilibrio quodam ac in dubio de operis honestate ac veritate hæreret; quæ omnia sunt enormiter falsa, & contra certissima Ecclesiæ ac Theologorum omnium dogmata.

ASSERTIO III.

Hæc Academicorum Doctrinâ pro legitima rectè operandi regula admissa, omnia inhonestissima evaderent licita.

Academicorum Doctrina turpissima scelerata honesta.

16. **P**ROBATUR primò ex August. lib. 3. contra Academ. cap. 16. ubi postquam citatum illorum dogma proposuerat, hæc subdit. *Id igitur audiens adolescens insidiabitur pudicitia uxori aliena. Te, te consulo Marce Tulli; de adolescentium moribus, vitâq; tractamus, cui educanda, atque insinuenda omnes ille literæ tuæ vigilaverunt. Tum inducit Tullium sic respondentem. Quid aliud dicturus es, quàm non esse tibi probabile ut id faciat adolescens? Hanc autem responsonem sic refellit. At illi probabile est. Nam si ex alieno probabili vivimus, nec tu debuisses administrare rempublicam, quia Epicuro visum est non esse faciendum. Adulterabit ergo ille juvenis conjugem alienam, &c. Tum asserit, Ciceronem ex suis principiis posse ac debere defendere, illum nec errare nec peccasse; sic enim eum alloquitur. Persuadebit nimirum nihil eum peccasse, nec errasse quidem, non enim faciendam esse adulterium pro vero sibi persuasit. Probabile sibi occurrit, secutus est, fecit.*

Ratio Aug. contra Academicos.

17. Mox hæc subdit August. *Sed vos me jocari arbitramini. Liber dejerare per omne divinum, nescire me prorsus quomodo ille peccaverit, si quisquis id egerit, quod probabile videtur, non peccat, &c. Taceo de homicidio, parricidio, sacrilegio, omnibusq; omnino, quæ fieri aut cogitari possunt, flagitiis aut facinoribus, quæ paucis verbis, & quod est gravius, apud sapientissimos iudices defenduntur. Nihil consensu, & ideo non erravi. Quomodo autem non facerem quod probabile visum est. Qui autem putant ista non posse probabiliter persuaderi, legant orationem Catiline, quo Patriæ parricidium, quo uno continentur omnia scelera, persuasit. Paulò post sic concludit. Illud est capitale, illud formidolosum, illud optimo cuique timendum, quod nescis omne, si hæc ratio probabilis erit, cum probabile cuiquam visum fuerit esse faciendum, tantum nulli quasi vero assentiatur, non solum sine sceleris, sed etiam sine erroris vituperatione committatur.*

Omnia licent, si dogmati Academicorum staretur.

18. Probatitur secundò. Inprimis nil adeo turpe est, quod aliquam speciem boni non habeat, quodque ex Ethnicorum, aut Hæreticorum, vel Sophistarum placitis ac rationibus tamquam honestum proponi non possit. At hoc sufficit, ut illud dicatur probabile juxta Academicos. Ergo sufficit, ut qui illud agit nec erret nec peccet, si illi ut vero assensum non præbeat. Rursus, certissima peccata temeritatis, quæ in dubio hærentes operamur, non solum nulla essent, sed virtutes potius quàm peccata reputari deberent. Tertiò nulla apud illos opus erat sollicitudine aut di-

ligentia veritatis indagandæ; unde quomodocumque res ita appareret, ut ad operandum sine assensione invitaret, eo ipso probabile erat, quod absque errore & peccato fieri poterat, si citra assensionem fieret. At nil tam turpe est & malum, quod ex mala hominis propensione, & consequenter saltem ad ejus passionem, & affectum, talem veri apparentiam habere non possit. Ergo nullum est flagitium adeo turpe & horrendum, quod per Academicorum doctrinam honestari non possit. Demum si ad argumentum August. reflectamus, videbimus eum nullam honesti mentionem aut distinctionem fecisse; quod indicio est, Academicos ad honestè operandum aliud non postulasse, quàm apparentiam boni sufficienter allicientis animum ad agendum: eo ipso enim quòd fieret absque assensione quod verum esset aut falsum, asserbant illud absque errore & peccato patrari. At nullum est nefas, quod careat hac apparentia boni. Ergo nullum est nefas, quod absque errore & peccato fieri non possit, si placitum Academicorum esset verum.

ASSERTIO IV.

Monstruosissimum ac absurdissimum est comparare benignam sententiam cum stultissimo Academicorum dogmate, ac prateneere eadem ex utraq; sententia absurda legitime deduci.

19. **P**ROBATUR primò. Monstruosum est Comparatio benigne sententia cum Academicis est absurdissimum. Comparare sententias tamquam perfectè congruentes, & earundem illationum radices, quæ tam in principiis, quàm in assertis ac illationibus evidenter discrepant. At benigna sententia, & Academicorum placitum evidentissimè disscrepant in principiis, in assertis, & illationibus, ut constat 1. & 2. assert. Benigna sententia admittit innumera esse certò inhonesta, cujus oppositum nec est, nec potest esse probabile, aut ulla verisimilitudine honestari. Hoc Academici negabant. Benigna sententia non omnem veri apparentiam admittit esse probabilem, sed eam solum, quæ in rebus verè incertis post diligentem veritatis indagacionem, ob suam magnitudinem meretur assensum, eumque à peritis, ut peritos decet judicantibus, impetrare potest. Rursus ad licitè operandum postulat, ut formetur dictamen conscientia, quo ex motivo saltem probabilis absolute credamus opus, quod aggredimur, esse licitum, & sic bona fide ad operandum progrediamur. Tertiò requirit, ut probabilitas ista non sit apparens, sed vera & certa. Quæ omnia Academicis aut rejiciebant ut superflua, aut damnabant ut absurda. Quartò, nos dicimus conscientiam vincibiliter errantem non excusare, quamvis opus & vehementer appareat, & firmiter credatur licitum. Academicis omnem assensum improbant ut imprudentem; sed opus ex tali apparentia profectum laudabant ut bonum, modò citra assensum fieret; cum tamen tunc homo minus excusationis, & plus malitiæ habeat, quia haud dubiè gravius peccat, qui aliquid in dubio facit, quàm qui illud ipsam facit, eò quòd erroneè existimet illud esse bonum, non aliter illud facturum. Demum non operationem in dubio factam indubitanter damnamus ut peccatum; Academicis autem omne tale opus maxima laude dignum esse contendebant, immo nullum aliud amittebant esse laude dignum. Ecce nostra sententia

rentia evidentissimè discrepat ab Academicorum placito, & ab eo longissimè distat non solum in principiis, sed quod plus est in ipsis assertis ac deductionibus. Et quidem discrepantia hæc in iis omnibus evidentissimè eminet, ex quibus Academici ab Augustino aliisque omnibus falsitatis arguuntur. Ergo monstruosissimum ac absurdissimum est benignam sententiam Academicorum placito comparare, simulque præterdere, eadem ex utraque absurda legitime deduci.

Aburditas
diæ com-
parationis
explicatur.

20. Probatur secundò. Opinio benigna est communis omnium Catholicorum sententia, & si sermo sit de opinione directè probabiliori est universalis omnium omnino, si unum Celladeum demas, & constans opinio. Præterea hæc sententia toleratur ab Ecclesia, quæ non ita pridem ob mulatorum clamores plures laxas opiniones (inter quas hæc, si Jansenistis aurem damus, habenda est pro omnium periculosissima) debite examinatas condemnavit, nullà de hac mentione factà. Immo eadem ab Ecclesia satis apertè approbata est, ut *quæst. 8.* ex professo ostendit. Tertio eadem opinio, sive auctoritatem, sive rationis speciem, est valde probabilis, quique id negat, audacter dico, aut nescit quid dicit, aut passionis indebitæ impetu adeo obæcatus est, ut oculis apertis lucem meridianam non videat. E contrario dogma Academicorum in propriis illius terminis est aperta hæresis. Deinde non solum non toleratur ab Ecclesia, sed ab omnibus tamquam absurdissimum rejicitur. Quarto dogma illorum non est probabile, cum doctrina contradictoriè illi opposita sit certa & evidens. Deinde dogma illud in se stultissimum est, ac evidenter falsum. Demum relatè ad operationes, quas dirigit, est impium, cum omnia scelera evidentissimè cohonestet. At quid quæso monstruosius excogitari, quid absurdius dici, quid gravissimis ac de Ecclesia optimè meritis Auctoribus magis injuriosum obrudiri potest, quam dicere opinionem, ab Ecclesia non solum toleratam, sed satis apertè approbatam, ab omnibus ejus Doctoribus traditam, maximaque infra summam & infallibilem auctoritate stabilitam, efficacissimisque rationibus confirmatam, reipsa non discrepare ab Academicorum dogmate, quod omnes Ecclesiæ Doctores anathematizant ut hæreticum, rejiciunt ut improbabile, damnant ut impium, & evidentissimè falsitatis redarguunt? hæc an fecerit Celladeus 3. & 4. *quæst. lib. 2.* judicent alii, nam ego tam tetram notam illi haud inuram. Hoc solum dico, in quocumque demum culpandus sit, in eo vel maximè culpandus est, quod hanc accusationem absque ullius momenti ratione instituerit, ut ex objectionum solutione apertè constabit.

21. Probatur tertio. Certum est, Academicos ea omnia admittere esse probabilia, quæ nos asserimus probabilitatem habere. Rursus certum est, eorum probabile innumera involvere, quæ nostra sententia rejicit tamquam evidenter improbabilia. Hæc duo ex sincera utriusque dogmatis explicatione sunt adeo conspicua, ut nemo de illis dubitare possit; nec Celladeus, ni fallor, in posterum ullam habiturus sit occasionem innocuos accusandi, ac dicendi, nos non asserere reale ac verum discrimen inter nostrum probabile, & probabile Academicorum; talia enim ac tam palpabilia discrimina atulimus, ut imperiti ipsi statim ea discernere valeant. Tertio certum est, absurda contra Academicos illata non fundari in iis probabilibus, quæ illi nobiscum eodem nomi-

ne probabilia appellant, sed in illis dumtaxat, quæ illi vocant probabilia, nos autem dicimus, & certò scimus esse improbabilia, & ut talia rejiciamus. Ergo qui has duas sententias æquat, aut comparat, non aliter facit, quam qui rationem genericam ita speciei attribuendam censeret, ut quidquid generi competit, id speciei quoque tribuendum diceret. Ratio est evidens. Academici definiunt genus quoddam probabile, atque omnia sub genere contenta licita esse contendunt. Nos pauca quædam sub hoc genere contenta accipimus, atque illa vocamus probabilia, illaque cum multis restrictionibus accepta dicimus esse licita. Ergo qui eadem absurda utriusque sententiæ attribuit, non aliter facit, quam qui speciem generi æquaret, omniaque peculiari speciei tribueret, quæ rationi genericæ ullo modo conveniunt.

Qui compara-
nt senten-
tiam Aca-
demici
speciem ge-
neri æquat.

22. Exemplo res fiet clarior. Pelagiani, saltem ab initio, non distinguebant ignorantiam vincibilem ab invincibili, ac proinde absque ulla distinctione dicebant, opera ex ignorantia facta esse bona, laude digna, ac meritoria. Contra Catholici reclamabant, dicentes non omnem ignorantiam, sed aliquam tantum à peccato excusare, & fundare opus laudabile. Distinguebant enim inter eam, quæ poterat, & eam, quæ vinci ac superari non poterat. Ignorantiam invincibilem à toto excusare aiebant, non item vincibilem, quam unà cum suo effectu imputabilem ac vituperabilem esse asserbant. Discrimen inter Pelagianos ac Catholicos aliud non fuit, quam quod Catholici unam ignorantiam speciem, Pelagiani omnem omnino, seu totum ignorantiam genus ab omni peccato excusare asserbant. Jam qui diceret, sententiam Catholicorum & Pelagianorum non differre, quia tam hi quam illi dicebant, opera ex ignorantia facta non esse peccata, ideoque utramque quoad absurditates æquipararet, aliud non faceret quam genus speciei æquare, & omnia uni speciei attribuire, quæ ulli sub genere contento conveniunt. Hic est casus noster, quia Academici totum probabilem à se definitorem genus, nos unam tantum illorum speciem juxta contractiorem vocis significationem probamus. Et sanè evidens est, nostrum probabile à probabili Academicorum non minus differre, quam ignorantia invincibilis ab ignorantia ut sic, aut homo ab animali genericè sumpto discrepat. Ergo sicut monstruosissimum esset ac absurdissimum hæresim Pelagianam comparare ac æquare cum doctrina Catholicorum, simulque contendere eadem ex utraque inconvenientia sequi, quia speciem generi æquaret, omniaque uni speciei determinatè attribueret, quæ sub toto genere continentur; ita pariter monstruosissimum est ac absurdissimum comparare, ac in absurditatibus æquiparare stultissimum, falsissimum, ac maximè impium Academicorum dogma cum sententia benigna, quia hoc idem est, ac speciem æquare cum genere, & dicere hominem legitime probari esse irrationalem, quia est animal, & plura animalia sunt irrationalia. Talis certè, & non melior est totus discursus Celladei in hac quæstione.

Declaratur
hoc, & con-
firmatur
exemplo.

ASSER-

ASSERTIO V.

Celladeus reprehendus est, quod interposito iurando sententiam benignam rejecerit.

Celladeus reprehendus est, quod per omne divinum dejeraverit, nescire se quomodo quidquam sit illicitum, si probabile, utrique parti contradictionis conveniens, actus nostros à peccato excuset.

Error Celladei in factu Augustini intelligendo & applicando.

23. **P**ROBATUR. Et quidem imprimis non est, quod factum Augustini, quem in hoc se gloriatur fuisse imitatum, alleget, tum quia Augustinus ipse factum hoc suum damnavit, tum quia longè dispar est utriusque conditio. Inprimis Augustinus *lib. primo Retractionum cap. primo* expressè fatetur se post conversionem quidem suam, sed ante Baptismum, libros contra Academicos scripsisse, atque ibidem plura in illis libris à se dicta retractat & rigidè censurat; inter reliqua autem de dejeratione, quàm supra ex illo citavimus hæc habet. *Nec mihi illud placet quod dixi; libet dejerare per omne divinum.* Noli tibi plaudere Celladee, quòd in dejeratione ista sanctissimum, ut ais, Episcopum, ac sapientissimum Ecclesiæ Doctorem imitatus sis. Erras profectò. Augustinum Neophytum, nondum Baptizatum, nondum factum Ecclesiæ membrum imitatus es: sed sanctum Ecclesiæ Doctorem, sed Augustinum Christianum, Sacerdotem, Episcopum non es imitatus. Ille, jam Sanctus, jam Sacerdos, jam Episcopus, jam Summus Ecclesiæ Doctor, protestatur, hoc suum juvenile dictum sibi displicere, restititque se facturum fuisse, si illud non scripsisset; tu verò post illius retractionem, eadem dejerandi forma uteris, & quod plus est, te Augustinum, tantum Doctorem, imitari gloriaris. Crede mihi Celladee, hujusmodi loquendi formulæ multum tibi officiant, magnam enim præsumptionem fundant, te non eâ, quam præ te fers, diligentia Augustinum legisse; si enim eum diligenter legisset, scivisses utique eum hæc scripsisse, cum adhuc Cathecumenus esset; non ignorasset, eum hoc ipsum juramentum retractasse; ideoque haud dubiè sub prætextu illum imitandi nunquam, ut fecisti, dejerasset; pudisset enim te illum in eo, quod ipse in se condemnat, imitatum fuisse.

Augustinus magnam Celladeus nullam aut exiguam jurandi occasionem habuit.

24. Verum ne nimis severus censor existimer, hunc Celladei errorem incogitantæ vel oblivioni potius quam ineruditioni tribuendum censeo. Nihilominus si omnia inspiciantur, non apparet unde legitime se excusare possit, quia Augustinus magnam, ille nullam aut exiguam prorsus dejerandi occasionem habuit. Augustinus in dogma impium, in sententiam evidenter absurdam, ac infinitorum scelerum nutricem, quam ipsemet paulò ante approbaverat, vehementi calamo invectus est, ideoque ut toti mundo suum à tam palmarè errore recessum, ac ad oppositam Sanctæ Ecclesiæ Doctrinam accessum majori energia testaretur, sub dicta dejeratione sententiam suam toti mundo explicavit, quod haud dubiè in talibus circumstantiis ex objecto ut malum reprehendi non potest. Nihilominus vir sanctissimus & sapientissimus, jam senex maturæ prudentiæ, dictam illud, ut nimis juvenile & minus necessarium retractavit. At longè dispar est Celladei conditio; ille enim non impium Academicorum dogma, non opinionem Ethnicorum certò falsam, sed unanimem Catholicorum sententiam ab Ecclesia toleratam, communi bo-

norum praxi, atque efficacissimis rationibus stabilitam, paris impietatis ac stultissimum & impium Academicorum dogma absque ulla necessitate aut ratione sufficiente, solemnè dejeratione interposita, condemnavit. At longè dispar est ratio in isto casu ac in illo Augustini; unde non apparet necessitas, aut justa ratio, ob quam Celladeus in tali causa dejerando per omne divinum gravissimam hanc suam censuram contra opinionem, quam falsitatis redarguere non potest, proponeret.

25. Quod si Celladeo placeat scire, quâ cautela, quo timore Aug. jam Sanctus Episcopus, jurare solitus sit, legat sermonem 28. *de verbis Apostoli*, ubi August. declarat, se jurare quidem aliquando, sed non nisi magna necessitate compulsum, & cum timore magno. *Quantum ad me, inquit, pertinet, juro: sed quantum mihi videtur, magna necessitate compulsum: cum videro, non mihi credi, nisi faciam, & ei, qui mihi non credit, hæc perpensa ratione, & consideratione librata, cum magno timore dico: coram Deo, aut, testis est mihi Deus, &c.* Jam verò an Celladeus talem jurandi necessitatem habuerit coram toto mundo, an etiam cum dicto timore juramentum proposuerit, ipsius conscientia judicandum relinquo; si habuit utrumque, tum quidem Augustinum Sanctissimum Episcopum jurando imitatus est; sed si altero, & multò magis si utroque caruit, de illius imitatione frustra gloriatur.

26. Sed præter justam causam & debitam reverentiam, veritas ante omnia necessaria est ad jurandum. Non dubito, quin Celladeus tunc verum putaverit, quod menti ipsius obverfabatur, quando dejerando affirmavit, *se nescire, quomodo quidquam sit illicitum, si benigna sententia sit vera.* Dixit enim quod tunc verum judicavit; sed si verba sumantur, ut jacent, haud dubiè veritatem non continent. Non potuit Celladeus ignorare, non esse probabile juxta sensum nostræ sententiæ, quòd blasphemia, quòd furtum, quòd adulterium, quòd voluntarium homicidium, & alia innumera scelera sint licita. Quomodo ergo ignorat, quidquam esse posse illicitum, si nostræ sententiæ sit vera? Nónne citra omnem dubitationem, hæc omnia, ut certissima scelera apertissimè condemnat? Nónne inter præcipua, ac maxime essentialia requisita ad probabilitatem exigit, ne quidquam certi in contrarium afferatur? At in istis omnibus & lumen rationis, & dogmata fidei talium objectorum inhonestatem reddunt certam. Ergo illorum honestas nec est, nec potest esse probabilis. Ergo illa ex benignæ sententiæ præscripto, nec sunt, nec esse possunt licita. Nec Celladeus hoc ignorat. Ergo re ipsa verum non est quod per omne divinum dejeravit. Certè Augustinus ideo usus est illa emphasi, quia ex opinione, quam impugnabat, clarè sequi videbat, crimen illud adolefcentis adulteri fore ab omni culpa excusabile; ideoque nil nisi certò verum juramento confirmavit.

27. Quod si Celladeus dicat, se excludere omnia certò mala, & de illis solum loqui, quorum honestas & inhonestas est simul probabilis, cujusmodi est, v. g. pingere in die Festo, adhuc convincitur sufficientem taliter jurandi occasionem non habuisse; tum quia omnis jurandi necessitas aberat, tum quia adhuc verba ejus, ut jacent, veritatem non continent. Quamvis enim homo in tali casu juxta præscriptum nostræ sententiæ sine peccato pingere possit, non tamen sequitur, hominem illum pingendo peccare non posse,

Aug. in iurando cautela & timore.

Dictum juramentum Celladei, ut iacet, veritatem non continet.

Idem dictum est falsum, quamvis ad sola probabilia restringatur.

posse, quia si in dubio, conscientiam non rite depositam ac formatam, pingat, haud dubie etiam ex præscripto nostræ sententiæ peccat. Et hoc bene sciebat Celladeus: cur ergo, interpositio juramento, dixit, nescire se, quomodo quidquam sit peccatum, si utraque pars contradictionis concedatur esse probabilis, & probabilitas juxta præscriptum benignæ sententiæ actus nostros à peccato excuset? Hæc evincunt Celladeum reprehensione dignum, quod suam in nos censuram, & in se malè fundatam, & viris gravissimis ac de Ecclesia optimè meritis injuriosam, solemnijurjurando interposito expresserit, quem proinde in visceribus Charitatis moneo, ut à similibus in posterum caveat, si communem Theologorum sententiam impugnet, quia per illa plus sibi, quam causæ adversæ nocementi affert.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio 28. **O**BJICIT primò. Augustinus in libro contra Academicos expressè dicit, se, ubi eorum sententiam ac probabile circumspexerat, visum sibi videri, quàm in securus error irrueret: Non enim, inquit, puto eum errare, qui falsam viam sequitur, sed etiam eum, qui veram non sequitur. Unde infert, probabile Academicorum non sufficere, quin error in securus irreat. Idem valet de probabili consueto, quia in securus illius opinionis sequaces sæpe error irrepit, non solum quia verum non sequuntur, quod per Augustinum ad errandum sufficit, sed etiam quia sæpe directè errant, erroneumque judicium sequuntur. Ita Celladeus partim in 2. §. quæst. 3 partim in initio quæst. 4. argumentum enim hoc ex iis, quæ locis illis habet, formari potest. Unde infert, Augustinum totum esse in culpandis actonibus humanis, quæ sunt erroneæ, quia per hoc sunt vitiosæ.

Error materialis in securus fortiter non peccandi irrepit.
 Respondeo, Augustinum non minus solidè, quàm ingeniosè uti hoc argumento ad hominem contra Academicos dicentes, neminem errare in opere, qui facit quod ipsi probabile apparet, modò nulli tamquam vero assensum præbeat, eò quòd talis homo in judicio suo non erret. Inducit enim Academicum quandam iter cum aliis facientem, per avios montes probabiliter ductum, & eo nomine risu dignum, quòd se non errasse jactaret. Evidens enim est, illum non minus errasse de via sequendo probabile, quàm si judicasset se viam rectam tenere, & sic in intellectu errasset. Hoc modo certum est, errorem in opere, seu materiale errorem irrepisse in Academicos, qui se ab omni errore securus putabant, si nulli tamquam vero assensum præberent, erroremque in intellectu vitarent. Jam nos ultro fateamur, sequaces opinionum probabilium aliquando materialiter errare in opere. Concedimus etiam talem errorem in bonæ operationis securus irrepere. Ceterum non existimo Celladeum putare, omnes ejusmodi errores vitio verti posse. Certè itinerans, viæ nescius, securus sequitur viam, per quam Sacerdos gravis eum dirigit. Nihilominus sic securus errare potest. An ideo error ille vitio verti potest? Nil minus. Ergo etsi error in securus irreat, non ideo error vitio vertitur. Ecce Augustinus ex hoc exemplo ad hominem meritissimè irridet dogma Academicorum, nec tamen ex eo infert, aut quicquam inferre potest, omnem errorem esse culpabilem ac vituperabilem. Erravit ergo procal dubio Celladeus, qui Augustino talem illationem

ex hoc illius dicto affingit, quæ nil Sancti Doctoris doctrinæ repugnantius inferri potuit. Certissimum enim est, Augustinum tenere, errorem invincibilem à toto excusare, ut fusè ostendi quæst. 16. de Consc. prob. num. 45. & seqq. Præterea August. lib. de utilitate credendi, totus est in ostendenda fidei humanæ utilitate, licet dictis aliorum fidem dando sæpe erremus. Sentit proinde haud dubie talem errorem vitio verti non posse, & opera per errorem illum regulata non esse culpabilia. Itaque argumentum, in hoc exemplo & dicto Augustini fundatum, haud dubie ad nostram sententiam impugnamdam nil concidit.

Objectio 29.
 29. Objicit secundò. Stupidus est, vel nimis impudens, qui prædictis Augustini verbis, seu potius fulminibus ad consideranda mala, quæ ex permisso probabilium usu sequuntur, non incitatur. Certè non apparet unde Deo satisfaciat, qui ista nec examinare, nec considerare voluit, quando super hoc ipso articulo causa ipsius in ultimo judicio movebitur. Cogitet quicumque is est, Augustinum esse, qui hæc pronuntiavit, Augustinum ea de re diu meditatam, cui via illa ab initio bellè testata & secuta videbatur, qui, cum vigilantior factus esset, cautius circumspexit, & quæ in securus error irrueret, detexit; nec hoc tantum detexit, sed vidit ulterius omnia fugitia ex tali doctrina cohonestanda. Qui hæc cogitat ad ista seriò ac debite examinanda se vehementer incitari reperiet. Ita Celladeus lib. 2. quæst. 3. §. 2.

Respondeo Celladeum hæc objicere, quasi Auctores benignæ sententiæ Auctores aut Augustinum non legisent, aut adeo stupidi ac furdi essent, ut horrenda hæc tonitrua ab Augustini ore emissæ non audirent, nec animum ad ea perpendenda applicarent. Verùm toto Cælo aberrat. Legit Augustinum Gratianus, ex quo innumera undique collecta diligentissimè excerptis, qui tamen nil ex hoc loco dignum invenit, quod pro Christianorum moribus dirigendis in suum Decretum reponeret. Magister sententiarum, S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus, Joannes Gerfon, Vasquez, Suarez, innumerique benignæ sententiæ Auctores Augustinum diligentissimè legunt; quorum tamen nemo ullum ex hoc loco argumentum, quo usus resolutionis verè probabilis peccati damnatur, viderunt. Nec mirum; quia evidens est, probabile Academicorum, totumque illorum dogma à benigna sententia, naturaque opinionis probabilis à Doctoribus Catholicis assertæ, tantum distare, ut essentialis nostræ sententiæ ab Academicorum dogmate differentia aperte contrarietur iis, in quibus horrenda illa Augustini contra Academicos fulmina fundantur. Et sanè hoc adeo verum est, ut nullum ex hoc loco argumentum sumi possit, quod magis impetat benignam sententiam quàm similia ejusdem Augustini dicta communem & certam Catholicorum de erroris invincibilis excusabilitate opinionem impetant, quibus Pelagianorum de ignorantie excusabilitate dogma fulminavit. Primus, quod sciam, qui hunc locum objecit contra benignam sententiam, fuit Wendrockius, quem Celladeus in hoc imitatus est, quamvis eum inter Jansenistas numeret. Ego quæst. 27. de Conscientiâ probabili num. 37. & seqq. hunc locum à Wendrockio objectum ponderavi ac dilui, in quo ut verum fatear, nil reperio, quod rationabilis contra nos objectionis locum implere possit, cum necesse sit, mutari significationem terminorum

Wendrockius hunc objectum, sed illi responsum est.



Augustino adhibitorum, ut ex illis contra benignam sententiam argumentum formari possit. Audivimus ergo hæc Augustini tonitrua, & locum perpendimus, nec tamen quidquam in eis nostræ sententiæ contrarium reperimus, aut unquam reperiet Celladeus, cum benigna sententia ex propriis suis principiis eadem poptus fulmina unâ cum Augustino contra Academicos torqueat.

Omnibus cautè agendum, quia unicuique pro se respondendum erit.

30. Cæterum optima illa Celladei admonitio de necessitate respondendi in extremo iudicio ante oculos habenda est, sed illa æquè præmit omnes; nam ille non minùs de horrenda hac sua communis doctrinæ accusatione, quàm ego pro ejusdem defensione, respondere debet. Ego Deum enixè rogo, *Ne intret in iudicium cum servo suo, quia non justificabitur in conspectu ejus omnis vivens, nec potero ei respondere unum pro mille.* Miserebitur ergo mei, ut spero, secundum multitudinem miserationum suarum, atque ita me in hac dissertatione, aliisque omnibus meis studiis diriget, ut ea tantum promam, quæ ipsi ad gloriam, proximis ad ædificationem, mihi ad salutem sint utilia. Hæc enim unicè cupio, ad hæc anhelò, ut sic in extremo iudicio gratiam pro gratia, non iudicium pro peccato inveniam. Idem ex animo Celladeo exopto. Verùm timeo illi, si unanimes Catholicorum omnium opiniones impugnare pergat, quia in rebus summi momenti magno errandi periculo se exponit, cum non sit credibile, Deum in doctrina morum ita Ecclesiam suam deseruisse, ut omnes illius Doctores in turpissimum ac periculosissimum errorem labi passus sit. Credibilis est, Deum permitturum, ut Celladeus hallucinetur & erret, quàm ut tota Ecclesia in similibus à veritate recedat. Hæc cogitet Celladeus, & habeat unde meritò formidet. Interim, dum quæstiones agitantur, nostrum est veritatem diligenter investigare, atque absque animi passione in rebus incertis ea promere, quæ rationi ac auctoritati consentanea esse deprehendimus. Hæc si bono zelo, ex sincero Dei honore, proximorum bono, & veritatis amore, Deo opitulante, præstiterimus, habebimus unde in extremo iudicio de talento non abscondito, sed negotiis exposito, præmium sperare potius quàm pœnam timere debeamus.

SOLVITUR ALIA OBJECTIO,

Ubi de natura sophisticatum agitur.

In quo discrepat sophista à sapiente.

31. **O**BJICIT tertio. Ad minimum ex hoc loco Augustini sequitur, omnem probabilitatem, ac probabilioritatem, immò & omnem certitudinem, ac securitatem purè sophisticam esse rejiciendam, tamquam insufficientem ad conscientiam debite formandam, quia talis probabilitas & certitudo ab Academicorum probabilitate & securitate non differre videtur. Præterea probabilitas & certitudo sophistica non sunt probabilitas & certitudo, sed quædam illarum apparentiæ. In hoc enim discrepat sophista à sapiente, juxta expressam Philosophi sententiam, quòd sophista magis ambiat videri veritatem attingere, quàm reipsa illam attingere. Imò contra veritatem notam ambit alios decipere, & falsum sub veri specie proponere. E contra sapiens magis quærit ipsam veritatem, quàm cupiat videri illam attingere. Itaque opus sapientis, ut Aristoteles ibidem subdit, *est non mentiri de quibus novit, mentientem autem manifestare posse.* Ergo sa-

piens est in scibilibus demonstrare, in rebus moralibus, quæ certò sciri non possunt, nosse verum juxta capacitatem materiæ, & contradicentium errorem posse manifestare. At opus sophistæ est hæc ipsa videri facere, quin faciat. Porro sophistæ ingenio & multiplici ratione opus est, ut fallant, modò in materia, assumendo rationes, quæ videntur veræ ac probabiles & non sunt; modò in forma, faciendo ratiocinationes, quæ videntur syllogismi, & non sunt. His positis.

32. Quamvis Auctores benignæ sententiæ non sint sophistæ cum alios fallere non intendant, tamen opus sophisticarum faciunt, quia opus sophisticum in eo situm est, ut quod proponitur appareat verum, & non sit; appareat probabile, quin sit tale; appareat syllogismus, & sit paralogismus. Ac hoc faciunt, qui quævis probabilia pro sufficienti conscientiæ regula proponunt; quia falsa pro veris, non probabilia pro probabilibus, & paralogismos pro syllogismis sæpe proponunt. At probabilitas purè sophistica non est sufficientis conscientiæ ritè formandæ regula. Ergo, &c. Ita Celladeus lib. 2. quæst. 4. ubi fusè agit de sophisticis, & opere sophisticò, contenditque, sola verè probabilia spectare ad conscientiam, & pro conscientia debite formandæ sufficere, cum apparens & sophistica probabilitas pseudosciantiam fundet. Rursus advertit, Judæos ac Hæreticos habere pro se probabilitatem apparentem, quæ tamen eos non excusat, quia dogmata eorum vera non sunt, quamvis ipsis videantur fide digna. Ratio autem est, quia opiniones nostræ non mutant sua objecta; unde si syllogismus peccet in forma, semper erit paralogismus, quantumvis videatur esse syllogismus. Idem dicendum de veris, idem de probabilibus, quæ nunquam erunt talia propter nostram apparentiam, nisi in seipsis verè sint talia.

33. Et sanè hæc ita apparentia, sed non verè talia, ab Aristotele vocantur sophistica, ab Augustino verò appellantur phantasmata, quia non habent esse nisi phantasticum, ideoque ex mente illius sunt prorsus contemnenda. Audi illum lib. de vera relig. cap. 55. *Non sit nobis religio in phantasmatis nostris: melius est enim quaecumque verum, quàm omne quicquid pro arbitrio fingi potest. Et: Melior est vera stipula, quàm lux inani cogitatione pro suspicanti voluntate formata.* Ecce juxta Augustinum est una vera propositio, quàm bibliotheca plena rationibus acutissimis, & fundamentis solidissimis, quæ delectant, & videntur talia, & non sunt, sed nos fallunt. Hinc sequitur, fundamenta & rationes, objectis non correspondentes, esse mera phantasmata, & ad sophisticam pertinere. Itaque ex dictis constat, probabilitatem aliam esse apparentem & fictam, aliam veram & realem. Illa ad sophisticam, seu pseudosciantiam, hæc ad veram scientiam moralem pertinet. Illa apparentem, hæc verum Theologum facit. Hæc hominem doctum, & scientiæ peritum reddit, illa imperitum & apparenter tantum peritum efficit. Cum ergo juxta omnes scientia & peritia requiratur, cum item nemo sufficere dicat homines pseudosciantiæ, aperte concluditur, solam probabilitatem apparentem, & talem quoad nos non sufficere pro regula conscientiæ, sed requiri probabilitatem realem. Ita Celladeus loco citato.

Respondeo hæc omnia abs re obijci contra benignam sententiam, quippe quæ pro regula conscientiæ in rebus incertis expressè postulat probabilitatem veram, & quidem certò cognitam. Cæ-

Augustini prohibet religionem in phantasmatis haberi.

Hæc omnia abs re obijciuntur.

terum in eo errat Celladeus, quod putet probabilitatem, quam communis opinio pro regula conscientiae proponit, non esse veram, sed solum apparentem. Hoc illi unice probandum erat; sed de hoc haecenus siluit; videbimus quid in posterum facturus sit. Interim non negamus dari probabilitatem merè apparentem. Datur haud dubiè, sed pro conscientia ritè formanda non sufficit. Ego in tract. de Consci. prob. ostendi probabilitatem aliam esse apparentem, aliam veram. Rursus veram distinxì in eam quæ certò, & in eam quæ solum probabiliter, aut etiam improbabili-ter nobis apparet, & ex istis omnibus solum probabilitatem veram, certò apparentem, pro sufficienti conscientiae regula cum communi omnium sententia proposui. Hæc si Celladeus legisset, in doctrina sophismatum tam copiosè exponenda non frustra sudasset; frustra, inquam, in ordine ad præsens intentum, quia quæ dicit vera ad rem non faciunt, & ideo ulterior eorum ponderatio omitti poterat; nihilominus aliquid ad singula reponam, ut exinde benignæ sententiæ veritas magis stabilatur, & objectorum nullitas apertius declaretur.

Error Celladei in intelligenda opinione, quam impugnat.

Perum sophisma non nisi in sophista.

34. Inprimis ergo admitto, nullam probabilitatem purè sophisticam esse sufficientem conscientiae regulam. Verum æquivocatio latet in termino purè *sophistica*. Ego illam tantum apparentiam purè *sophisticam* appello, quæ aliquam veram apparentiam cognoscitur habere ab eo, qui bene advertit fallaciam in illa apparentia latere, nam respectu ejus, qui hoc non novit, apparentia illa non est purè *sophistica*, cum magnum pondus ad assensum extorquendum habere possit; quod certè apparentiæ purè *sophisticae* non convenit. Itaque purum *sophisma* non invenitur nisi in sophista, qui illo ad alios decipiendos utitur. Ratio est, quia sicut homo iniquus expresso mendacio ita alium decipere potest, ut ille non temerè, sed prudenter ipsi credat, ita pariter sophista difficilioribus sophismatibus rudem hominem ita circumvenire potest, ut ille etiam non temerè persuadeatur de veritate rei, quam sophista novit esse falsissimam.

Qui decipitur, non movetur ad assensum à solo sophismate, sed aliquando à vera probabilitate.

35. Cæterum in casu, quo aliquis hac ratione mendacio vel argumento fallaci decipitur, ille non tantum movetur ad assensum ex vi verisimilitudinis latentis in sophismate, sed simul & semel ex eo incitatur ad assensum, quod nil videat in contrarium, quod suspensionem assensus mereatur. Itaque apparentia illa ex duabus partibus componitur: altera est positiva verisimilitudo, quam *sophisma* male intellectum continet; altera est negatio argumenti contrarii. Porro intellectus ex utraque hac parte simul sumpta aliquando tanta vi hic & nunc incitatur, ut absque ulla temeritatis nota, imo prudenter assensum præbeat. Tota enim illa apparentia assensum meretur, quia sæpe est apparentia verè probabilis, ut fuscè ostendi *quæst. 3. de Consci. prob. num. præsertim 9. & 25.* Itaque nego *sophisma* respectu hominis taliter affecti esse rationem purè *sophisticam*, quia ut esset purè talis, deberet totam intellectum movendi vim à se ipsa inseparabiliter habere; per illud enim tantum, quod à se ipso habet inseparabiliter, est purum *sophisma*. Jam talis apparentia in mente *sophistæ*, scientis illud esse *sophisma*, ad conscientiam ritè formandam non sufficit, cum non sit apparentia probabilis, sed purum *sophisma* & fallax apparentia, cognita ut talis; qualis est apparentia fractionis in baculo propter meram radiorum refractionem respectu

R. P. A. Terilli Regula morum. PARS I.

intellectus, qui novit radios, quibus baculus ille representatur, esse refractos.

36. Jam ergo, si loquamur de apparentia fallaci, non cognita ut fallaci, sed apparente solum ut vera, atque illa post debitam diligentiam adeo vehementer stimulet ad assensum, ut homo absque temeritate per judicium invincibiliter erroneum illi assentiat, dico talem apparentiam esse verè probabilem, & sufficientem conscientiae regulam. Certum autem est, hominem posse invincibiliter errare ex vi *sophismatis* non detecti, si-ve ipse per se *sophisma* detegere non potuit, si-ve non debuit, eò quod à gravissimis viris auditur argumentationem esse bonam, & verè ac validè concludere. Verum talis argumentatio, prout sumitur in salibus circumstantis, non est purum *sophisma*, ut ex dictis constat.

Apparentis fallax, invincibiliter credita vera, est sufficientis regulæ conscientiae.

37. Quod si his non acquiescas, sed omnino velis, omne *sophisma* esse purum *sophisma*, terminosque *sophisma*, & purum *sophisma* in nullo discrepare, non sum qui de voce velim contendere: admitto ergo tuum loquendi modum, est minus congruum, & re ipsa à veritate alienum; sed, eo admisso, aucter nego, omne purum *sophisma*, esse rejiciendum tanquam insufficientem conscientiae regulam, quia certum est, aliquod sufficere, ut dictum est. Talis autem apparentia, seu tale *sophisma* longè plus habet, quam probabilitas Academicorum; illa enim, non autem ista, est sufficiens motivum ad assensum absque ulla temeritatis nota, & prudenter præbendum. Unde pariter sequitur, totam illam apparentiam, ex positivo impulsu, negatione argumenti contrarii, ac invincibili ignorantia *sophismatis* constatam, esse veram, non *sophisticam* probabilitatem, quamvis argumentatio ipsa secundum se, vel ex parte materiae, vel ex parte formæ sit *sophistica*.

38. Quod ad reliqua in objectione contenta attinet, vera sunt quæ Celladeus ex Aristotele promittit, sed quæ ex suo adjungit non subsistunt. Inprimis falsum est, quod dicit, opus *sophisticum* in eo situm esse, ut quod proponitur, appareat verum, & non sit; appareat probabile, & non sit *probabile*; appareat *hylogismus*, & sit *paralogismus*. Hoc dictum, quoad priora duo membra, est evidenter falsum; sæpe enim erramus circa res ipsas earumque probabilitatem, absque ullo *sophismate*. Quando per mendacium decipimur, erramus, & verum apparet quod non est; nec tamen per *sophisma* decepti sumus. Idem valet, ex probabilibus ritè dispositis inferimus consequens falsum; quamvis enim altera præmissa sit falsa, illa tamen non est propositio *sophistica*, quia nulla propositio simplex, qualis illa esse supponitur, potest *sophisma* continere, ut patet. Unde neque Conclusio illata est *sophisma* aut *sophistica*, quamvis consequens illatum sit falsum. Itaque illud Celladei dictum est erroneum. Nec in eo tantum errat, sed in illo ipso sibi contradicit. Ille enim tenetur idem dicere de omni errore invincibili, quem in multis admittit. Peto enim, an talis error sit *sophisma*, nec ne? Si sit, ergo *sophisma*, seu cognitio *sophistica* à peccato excusat. Ergo errat, & sibi contradicit, dum affirmat omnem apparentiam *sophisticam* esse rejiciendam tanquam inutilem ad conscientiam ritè formandam. Si non sit, iterum sibi contradicit, quia jam non omnis cognitio, cujus objectum verum apparet & non est, est *sophisma*, seu opus *sophisticum*.

Non omnino falsum est *sophisma*.

Celladei contradictio.

39. Est & aliud, in quo re ipsa Celladeus sibi

V 2

contra.

contradicit in hac quæst. sic enim arguo. Contradictoria sunt, omnem veram probabilitatem sufficere ad conscientiam formandam, & nullum actum falsum (quem ille sophisma appellat) ad eam formandam sufficere, quia certum est, multos actus falsos esse verè probabiles. At Celladeus in hac quæst. expressè tradit utrumque. Ergo tradit contradictoria, & re ipsa sibi contradicit. Scio cum tenere (& postea de hoc agendum erit) quod omnis vera probabilitas identificentur cum veritate rei, quæ dicitur, & verè est probabilis. Verùm hoc solum probat, quod in hac quæst. non sibi contradicat in terminis expressis, non autem quod asserta ab ipso posita verè non se excludant, sicut contradictoria. At ego hic non intendo probare primum, sed solum ostendere secundum esse verum, prout est verissimum; quia ultra omne dubium est, verissimam probabilitatem sæpe conjungi cum falsitate, ut suo loco fusè demonstrabitur.

Sophisma
proprie lo-
quendo so-
lum consistit
in mala ar-
gumenta-
tione.

40. Quod dixi de veritate rei, æquè valet de probabilitate, quia probabilitas falsò apparet, sed credita vera, non magis est sophisma objectivum, quam veritas ipsa falsò credita; eadem enim utriusque est ratio, cum utraque æquè cognosci possit actu vero, vel falso. Itaque si proprie loquamur, opus sophistæ in sola argumentatione malè constructa consistit, in qua ex indubita terminorum complicatione, aut confusione apparet veritas in consequente, quando illa ex præmissis legitime deduci non potest. Defectus autem iste aliquando ex materia, aliquando ex forma dependet, ut ex Elenchorum libris norum est. Erravit ergo Celladeus, dum sophisma, seu opus sophistæ sub conceptu rei apparentis ut veræ aut probabilis, quando non est vera vel probabilis, proposuit, cum solum consistat in eo, quod argumentatio appareat legitima, quando est illegitima.

Nunquam
proponi-
mus falsam
probabili-
tatem pro
regula con-
scientiæ.

41. Porro cum Celladeus in ipsis, ut visum est, principiis hac in re erraverit, mirum non est, quod in applicatione ac deductione argumenti etiam deceptus fuerit. Deductio ejus est, quod Auctores benignæ sententiæ falsa pro veris, probabilia pro improbabilibus, paralogismos pro syllogismis ad conscientiam regulandam sæpe proponant. Fateor aliquas ex opinionibus directis, quas omnibus inspectis, pro licitis proponimus, esse falsas, quia non est credibile, nullam ex opinionibus probabilibus minus tutis esse falsam. Nihilominus de nulla in particulari scire possumus, quod sit falsa; cum etiam directè loquendo validas de veritate illius præsumptiones habeamus, & reflexè longè validissimas. At si scimo sit de probabilitate, nunquam nisi veram ac certam probabilitatem proponimus pro conscientia regulanda. Quod si aliquando inter ratiocinandum aliquis paralogizet, id est per accidens, nec probabilitas, qua nitimur, in solo paralogismo, sed etiam in ignorantia deceptionis, & carentia argumenti prævalentis in contrarium, fundatur, ut dictum est. Illa autem simul sumpta sæpe sunt verissima ac certissima probabilitas, quæ ad excusandum à peccato, teste ipso etiam Celladeo, sufficit, saltem tunc quando, ut sæpe facit, errorem invincibilem fundat.

Alia Celladei
contra-
dictio.

42. Quod dicit de Judæis ac Hæreticis, non est ad rem; illi enim, qui invincibili veritatis ignorantia laborant, à peccato excusantur, quia per apparentiam verè probabilem diriguntur. Probabilitas autem illa partialiter fundatur in ignorantia invincibili veritatis oppositæ. Ecce

probabilitas, & multò magis certitudo, quam ipse apparentem vocat, nonnunquam excusat Judæos ac Hæreticos. Et tamen omnem probabilitatem & certitudinem apparentem, ut insufficientem repellit. In quo iterum sibi contradicit. Nec mirum; confundit enim veram probabilitatem cum probabilitate merè apparente. Apparentia, quam hæretici formales ac vincibiliter errantes habent de veritate suorum dogmatum, contra argumenta Fidei Catholicæ ipsis insufficienter propolita, non est verè, sed solum apparenter probabilis, nec ipsis, aut ulli videri potest digna fide, nisi consequenter ad affectum suis erroribus indebitè propensum. Talis autem apparentia consequens affectum uni parti indebitè alligatum, est maxima, non est apparentia rationalis ac probabilis (ut fusè ostendi 99. 2. & 3. de Consc. prob.) sed solum falsò apparet esse talis, quia habet motiva certissima in contrarium. Verùm Celladeus hoc semper omittit, quando de probabili agit; cum tamen hoc in nostra sententia sit omni verè probabilitati maximè essentialiale, ut sapius dictum est. At quando hæreticus invincibiliter ignorat & errat, tunc apparentia, qua stimulat, non solum fundatur in pectus apparentia veri, quæ communis est hæretico formali, sed etiam in carentia rationis prævalentis in contrarium, atque in invincibili talium rationum ignorantia. Ex istis autem omnibus oritur vera, & non merè apparet probabilitas, qua heretici formales carent. Itaque illi ob veram, non ob apparentem probabilitatem excusantur: ad quod quia Celladeus non advertit, existimavit probabilitatem merè apparentem omnibus adesse, ideoque neminem per illum excusari, cum tamen negare non possit, plures ex illis excusationem habere; quæ asserta non coherent, sed sibi mutuo contradicunt, si, ut rectè contendit, sola vera probabilitas excuset.

43. Quod assertur ex August. lib. de vera relig. Celladeus non est ad rem, quia S. Doctor aliud in illo libro citat Aug. non contendit, quam solum Deum verum esse colendum, tamquam Deum, cui soli omnis vera religio nos religat, seu alligat, & ab hac religatione ad Deum nomen religionis dicit esse derivatum. Ex hoc autem rectè infert, quod religio non sit impendenda Phantasmatis, quia, inquit, melius est qualecumque verum, quam quidquid pro arbitrio fingi potest. Et tamen animam ipsam, quamvis anima vera sit, cum falsa imaginatur, colere non debemus. Hoc modo à potiori probat nil falsum aut fictum coli debere, quia omne verè existens plus habet, unde coli debeat (si coli licitè possit) quam quidquid est purè imaginarium, & existentiæ caret. Id ipsum alio exemplo sic confirmat. Melior est vera stipula, quam lux mani cogitatione pro suspicantia voluntate formata. Et tamen stipulam, quam sentimus & tangimus, dementis est credere colendam. Itaque toto illo capite aliud non docet August. quam solum Deum esse colendum. Inter reliqua autem ex eo probat phantasmata & ficta non esse colenda, quia constat plura vera, omnibus phantasticis meliora, non esse colenda. Hoc autem argumentum ad præsens intentum nil facit, ut patet.

44. Præterea Aug. hoc loco solum loquitur de objectis, seu rebus à cognitione propositis, & de illis autem verum est, quod stipula vera minus imaginario prævaleat. Hinc autem perperam infert Celladeus, meliorem esse illam propositionem veram, quam innumeros discursus probabilissimos, si à veritate distent. Perperam, inquam,

inquam, quia hoc ex dictis Augustini non sequitur, cum ille non agat de cognitionibus veris & falsis, quæ omnes sunt entia verè existentiæ, & propterea comparari possunt in bonitate reali, sed de rebus, quarum una existit, altera non existit, quæ proinde nullam habent comparationem, aut rationem ad invicem. Abutitur ergo Celladeus auctoritate Aug. quia quod hic rebus non existentibus tribuit, id ille ad res verè existentes applicat.

Aug. præf. aliquos actus falsos aliquibus veris.

45. Demum Aug. toto lib. de milit. credendis ex professo contrarium tradit. Demonstrat enim, fidem humanam, etiam falsam, sæpe esse utilem ad vitam rectè & ut oportet gubernandam. Exemplum ponit in filio, qui invincibiliter errat credendo eum esse suum patrem, qui verè non est. Nec dubium, quin Aug. pluris faciat talem fidem, etsi falsam, quam similes actus veros temerè & vincibiliter elicitos, quibus filii non nisi turpiter colerent parentes veros, iis neglectis, quos nisi vincibiliter negare non possunt esse suos parentes veros. Ratio est, quia hi actus veri filios à peccato non excusant; illi autem actus falsi eos excusant, ut patet. Similiter pluris facit illos actus falsos in ordine ad finem vitæ humanæ, quam aliquos actus speculativos veros, qualis est hic: *Petrus digitum movere*, quia hic actus ad vitam ritè instituendam utilis non est, qui tamen hic & nunc sæpe institui non potest sine errore, ut in multis exemplis constat esse certissimum.

Aliquæ cognitiones falsæ sunt simpliciter meliores aliquibus veris.

46. Porro ratio à priori, cur aliquæ cognitiones falsæ prævalent aliquibus veris, ex eo sumitur, quod multæ falsæ sint intrinsecè & essentialiter tam perfectæ, imo sæpe perfectiores in eodem genere, & meliori ac rationabiliori fundamento innixæ, quam aliquæ veræ. Ergo possunt tam prudenter & prudentius imperari, quam aliquæ veræ. Rursus aliquæ ex istiusmodi cognitionibus falsis sunt valde utiles ad vitam humanam instituendam, ut omnibus est notum. E contrario aliquæ cognitiones veræ, maximè, quæ circa similia objecta versantur, sæpe ob suam temeritatem ad vitam irreprehensibiliter instituendam non sufficiunt. Ergo si spectetur totus finis tam intellectus quam voluntatis (cui etiam intellectus deservit) aliquæ cognitiones falsæ præstant aliquibus veris. Imo si solus finis intellectus respiciatur, id ipsum est verum; quamvis enim primarius, & directè intentus finis intellectus sit veritas, seu conformitas realis actus cum objecto, tamen quando illa certè haberi non potest, intellectus secundariè eò tendit, ut habeat saltem conformitatem, quam potest maximè rationabiliter apparentem; & tunc melius se habet, quando possidet majorem, & magis rationabilem ejusdem apparentiam, quamvis per accidens valida illa apparentia revera sit difformis objecto. Itaque secundarius finis ad hunc possidendæ veritatis modum extenditur. Est & alia ratio id ipsum convincens. Intellectus in obscuris subditur imperio voluntatis. Ergo tunc melius se habet, quando voluntas rationabilius imperat assensum falsum, quam verum. At hoc frequenter accidit. Ergo aliquæ cognitiones falsæ sunt tam bonæ, & meliores intellectui, quam aliquæ veræ, temerè à voluntate imperata.

Probabilitas tantum vera hominè peritum reddit.

47. Quod dicit ultimo loco verum est, scilicet probabilitatem veram ab apparenti distinguendam esse; illa enim Theologum verè, hæc tantum apparenter peritum reddit. Has nos distinguimus, & hanc peritiam requirimus, ut quis sufficiens sit ad conscientias ritè dirigendas. Ita-

R. P. A. Terilli Regula morum. PARS I.

que ultrò fateamur, quod probabilitas realis & quoad se requiratur, quodque probabilitas merè apparens & quoad nos ad conscientiam formandam non sufficiat. Cæterum cavenda est æquivocatio latens in voce illa *quoad nos*. Si enim idem significet, quod probabilitas merè apparens, veritati non obstat; si verò sumatur pro probabilitate præsumpta, (quam ego *quæst. 6. de Consc. prob.* fusè explicavi, ostendique, quomodo dicatur probabilitas *quoad nos*) falsum est, quod probabilitas quoad nos non sufficiat, quia illa est vera probabilitas, ut loco illo fusè ostensum est.

48. Quæres, quid dicendum sit de reflexione illa, quam Celladeus hic fecit contra Auctores benignæ sententiæ? Quod scilicet sint nimii rationum amatores, ideoque habeat unde timeant, quia omnia speculationibus & ingenio, nullo aut exiguo respectu ad auctoritatem habito quæstiones resolvere solent. At hoc incongruum & periculosum est. Periculosum quidem, quia rationes nostræ sæpissimæ sunt sophisticæ & falsæ. Incongruum verò, quia recta fidei ac morum doctrina de cælo venit, & non sine auctoritate rectè dicitur, & docetur.

49. Respondeo admonitionem in se spectatam esse optimam; verum illa auctè perstringit Celladeum, nos autem, Deo laus, non stringit. Perstringit Celladeum, quia ille, contempta omnium totius Ecclesiæ Doctorum auctoritate, (certum enim est, omnes omnino in rebus verè incertis docuisse, usum opinionis saltem probabilioris esse licitum) novam & singularem, sibi que soli propriam opinionem invenit, qua omnem cujusvis opinionis probabilis, etiam probabilissimæ, usum ut illicitum damnat. Estne hoc, Celladee, auctoritatem magni facere? Auctoritas, quam tu rejicis, post infallibilem Ecclesiæ ac Pontificum decisionem, est maxima omnium, quæ in civili aut sacra republica reperiri potest. Hanc tu parvi pendis. Contra omnes solus insurgis, nec aliis argumentis, quam miris quibusdam ac sophisticis speculationibus niteris, ut hæctenus visum est, & ex sequentibus etiam, Deo dante, patebit. Quod si aliquam auctoritatem ex Aristotele, Augustino, aliòve Sancto Patre afferas, illa vel ad rem non est, vel illà in sensu alieno abuteris, ut ex dictis constat. Præterea illa auctoritas, quantacumque sit, non est æquanda auctoritati, contra quam illam affers. Habes ergo unde timeas.

50. Cæterum, Deo laus, ista admonitio nos non stringit, quia plurimum rationi, sed plus auctoritati deferimus. Nos adeo nostris opinionibus non fidimus, quin contrariæ Doctorum ac piorum hominum auctoritati subscribamus, eorumque auctoritate fundati, nos tutos putamus, ut etiam contra propriam opinionem licitè operemur. Sed tu fortasse, *laudator temporis aucti*, præsentis sæculi Doctores exigua aut nullius auctoritatis esse arbitraris. Proinde ad Augustinum, & ad antiquos Patres provocas; illorum enim verò auctoritatem & meritò plurimi faciendam dicitis. Sic est; sed scias, Celladee, aliud est, Augustinum & Sanctos Patres ubique crepare, aliud verum eorum sensum assequi. Janseuistæ Augustinum, hæretici purum putumque Dei verbum ubique crepant; sed in mente Augustini, ac sensu Sacræ Scripturæ intelligendo toto cælo aberrant. Non tu solus Augustinum legisti, præstantissimi quique benignæ sententiæ Auctores eum diligentissimè examinarunt, atque

Admonitio Celladei.

Non nos, sed ipsum percellit.

Nos multum rationi, sed plus auctoritati tribuimus.

ex ejus dictis suas sententias roborarunt; & quidem quod ad præsentem quæstionem attinet, ego nonnulla Augustini, aliorumque Patrum loca perpendi *quæst. 27. de Cons. prob.* ex quibus manifestum est, eos in particularibus casibus usum

benignæ sententiæ licitum habuisse. Plura in progressu afferam. Interim quæ hæcenus ex SS. PP. attulisti, tibi non favent, sed vel ad rem non faciunt, vel à te perperam intellecta fuisse ostendi, & Deo favente, in sequentibus ostendam.

QUÆSTIO VIGESIMA- SEXTA.

*Virum vera probabilitas dari possit contra certum
& evidens?*

Singularis
Celladei o-
pinio.

I. **N** Scholis Catholicorum hæcenus inauditum fuit, id alicui esse probabile, cujus oppositum est ipsi certum & evidens. Omnes enim ad probabilitatem, tamquam essentialissimum prædicatum requirunt, ne quidquam certum aut evidens in contrarium appareat. Celladeus tamen *lib. 2. quæst. 5* contra omnes insurgit, atque expressè contendit, probabilitatem, ab auctoribus benignæ sententiæ assertam, coherere cum certitudine oppositi. Unde infert, nullius opinionis, ne quidem probabilioris usum esse licitum. Falsitas hujus paradoxii hoc loco examinanda est, simulque Celladei inconsequentia de exclusione opinionis probabilioris detegenda. Sit ergo

ASSERTIO PRIMA.

Probabilitas Academicorum de una parte componi potest in eodem intellectu cum certitudine, non tamen cum perfecta evidentia de altera contradictionis parte.

2. PROBATUR. Quævis apparentia veri sollicitans intellectum ad assensum aut voluntatem ad operationem, est probabilitas ab Academicis asserta. At hæc componi potest cum certitudine de opposito. Fides enim de mysteriis revelatis certissima est, & tamen sæpe ad certam apparentiam veritatis, qua intellectus & voluntas stimulantur ad assensum illis negandum, ut patet ex tentationibus fidei, & argumentis hæreticorum, quibus fidelis homo tentatur, & aliquo modo ad hæresim stimulat. Ergo probabilitas Academicorum datur contra certitudinem.

3. Probatur secunda pars. Evidentia perfecta excludit omnem formidinem, tam actuale quam possibilem, oppositi. Nemo enim formidare potest, an totum sit majus sua parte, nec ullam oppositi apparentiam habere, qua ad dissensum stimuletur, ut experientia constat. Eadem autem ratio valet de omni alia perfecta & metaphysica evidentia. Ratio est, quia evidentia consistit in clara veritatis intuitionem; illa autem statim rapit intellectum, illumque necessitat ad assensum, suaque luce omnes tenebras aut apparentiam stimulantem ad contrarium abtergit. Non sic fides, quæ obscura est, quamvis sit certa. Obscuritas autem illa efficit, ne actus fidei absque voluntatis

Sed non cū
evidentia
partis con-
trariæ.

imperio elici possit, quia intellectus à veritate obscure proposita non rapitur in assensum. Itaque obscuritas necessariò relinquit possibilitatem suspendendi assensum; nec hanc tantum sed etiam possibilitatem dissentendi admittit, quia obscuritas non removet omnem apparentiam contrarii, alioquin eo ipso non esset obscuritas, sed perfecta claritas & evidentia. Stat ergo veritas assertionis.

ASSERTIO II.

Probabilitas à benigna sententia asserta de una parte contradictionis nequit simul componi in eodem intellectu cum evidentia aut certitudine alterius partis; utraque tamen potest simul existere in diversis intellectibus, aut in eodem pro diversis temporibus.

4. PROBATUR assertio, quæ quoad secundam partem adeo clara est, ut sola illius propositio, potentiarumque ac temporum distinctio ad veritatem illius demonstrandam abundè sufficiat. Quis enim non videt fieri aliquando, ut Theologus aliquis non sophisticè, sed juxta possibilitatem humanæ fragilitatis & materiæ propositæ qualitatem, solide ac rationabiliter procedens in sua resolutione, post omnem diligentiam adhibitam à vero aberret. In hoc casu Deus & Angelus certè & evidenter norunt veritatem, ac de illa evidentiam habent. Hoc autem non impedit, quò minus Theologus ille probabiliter casum resolverit; imo, si hypothesis, in qua locutus sumus teneatur, non poterat non probabiliter eam resolvere. Erravit tamen. Ergo probabilitas de una, & evidentia de altera contradictionis parte simul existere possunt in diversis intellectibus. Idem omnes clarè discernunt in probabilitate extrinseca. Multi pueri probabiliter judicant eos esse suos patres, qui revera non sunt Patres ipsorum. Jam Deus & Angeli, ac homines aliqui evidenter norunt, quòd pueri in hoc suo judicio errent. Sed & ipsi pueri in fine mundi id ipsum evidenter scient. Præterea eadem est ratio de uno eodemque intellectu hominis respectu diversorum temporum, ac plurium intellectuum respectu ejusdem temporis. Ergo sicut respectu diversorum intellectuum in eodem instanti dari potest evidentia unius, & probabilitas alterius contra-

Probabili-
tas de una
& evidentia
de altera
parte contra-
dictionis si-
mul datur
in diversis
intellectibus.